

A Cum ex prælatorum translationibus ecclesiæ ipsæ de quibus transferuntur, plerunque grauibz in spiritualibus & temporalibus subiaceant dispendijs & iacturis, prælati quoque nonnunquam iura & libertates ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter ut alias prosequantur, ne ad importunitatem quorundam, quæ sua & non quæ IESU CHRISTI quærentium, Romanus pontifex forsitan ut homo facti nescius, in huiusmodi circumueniatur, aut alias leuiter inclinetur, præsentibus statuimus & ordinamus, inuitorum episcoporum & superiorum translationes absque magna & rationabili causa, quæ uocata parte cognita fuerit, & decisa de consilio sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, uel maioris partis eorundem & cum subscriptione, de cætero fieri non debere: Inferiores uero, ut abbates, aliq; perpetuo beneficiati, inuiti absque iusta & rationabili causa cognita, amoueri seu priuari non debeant. Adhucientes, q; in mutationibus abbatum subscriptionem cardinalium interueniat, sicut in episcopis est præmissum, saluis constitutionibus, consuetudinibus & priuilegijs ecclesiarum, monasteriorum & ordinum quorumcunq;.

Philip. 1. c

¶ De spolijs & procurationibus.

B Cum per papam facta reseruatio & executio & perceptio procurationum, ordinarijs & alijs inferioribus prælati debitarum ratione uisitationis, necnon & spoliatorum decedentium prælatorum aliorumq; clericorum, grauias ecclesijs, monasterijs & alijs beneficijs ecclesiasticisq; personis afferant detrimenta, præsentem declaramus edicto, rationi fore consentaneum & reipublicæ accommodum, tales per papam reseruatiões, ac per collectores & alios autoritate apostolica deputatos siue deputandos, exactiones seu perceptiones de cætero nullo modo fieri seu attentari, quinimo procuraciones huiusmodi ac quorumcunq; prælatorum, cardinalium etiam uel ipsius papæ familiarium, officialium & aliorum quorumuis clericorum, in curia Romana uel extra, ubicunq; & quandocunq; decedentium, spolia seu bona eorum mortis tempore reperta, plene & libere pertineant illis, & per illos recipiantur, quibus alijs, præfatis reseruatiõibus, mandatis & exactionibus cessantibus, competere & pertinere deberent, præfatis etiam inferioribus & alijs huiusmodi spoliatorum exactiones præter & contra iuris communis formam fieri interdicitimus, constitutione tamen felicis recordationis Bonifacij papæ octauij, quæ incipit, Præsentis, super hoc edita specialiter, in suo robore duratura. Post hæc autem uenerabilis

C lis uir magister Petrus de Lomburgia legit decretum tenoris subsequentijs.

¶ Potestas diffiniendi possessorum causæ episcopatus Cumanensis.

Sacrosancta & generalis synodus Constantiensis uniuersalem dei ecclesiam representans, uenerabilibus fratribus Placensi, Pistoriensi & Vaurensi episcopis, quos alias ad audiendum causam & causas ac querelas ad nos deuolutas seu deductas, & deuoluendas seu deducendas deputauimus etiam ecclesiarum cathedralium, usque ad diffinitiuam sententiam exclusiue, quam in causis ipsarum ecclesiarum cathedralium nobis reseruauimus, ut causam super possessorio iudicio ecclesiæ Cumanensis, & pertinentibus ad eandem, inter uenerabilem fratrem Antonium episcopum Cumanensem agentem ex una, & dilectos ecclesiæ filios canonicos & capitulum & fratrem Franciscum de Crinellis ordinis Minorum, pro electo dictæ ecclesiæ se gerentem defendentes partibus ex altera, quæ coram ipsis penderet indecisa, habentes statum causæ huiusmodi pro sufficienter expresso, ac non ualentes diuersis occupati ne goijs finali decisioni eiusdem intendere finali sententia, uocatis secum aliquibus, terminare ualeant, plenariam concedimus facultatem. Quibus selectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis præsidens, nomine totius concilij respondit per uerbum, placet.

al. Cunellis